



**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Plus potest moderatio, quam impetus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

spiritus , ultiōis stimulat cupido , irarum flamina non fecus ac Eurus , Notusque ruunt , & vastos voluunt ad littora fluctus . Grandis oritur tempestas , eripitur dies menti , obfuscatur ratio , recto judicio nox incubat atra , omnes animi facultates procellis involvuntur . Monet Horatius lib . 1 . epist . ad Lolium :

Ira furor brevis est : animum rege ; qui nisi paret , Imperat : hunc frenis , hunc tu compesce catena .

V. (e) Boream immodecē vires suas jactantem suprā audivimus : quō denotatur , multa quidem per vim & terrorem obtineri ; sed tamen verissimum illud esse Sallustii dictum : *Sævitia plus timoris , quam potenterie addit.* Imperia crudelia magis acerba sunt , quam diuturna . Se- piissimē fit , ut furorem suum effundat in scopulum Aquilo , & ibi frangatur maximē , ubi maximē debacchatur . Non raro plus potuit leni flamine Zephyrus , quam vesano murmure Ventus ille rapidus . Hoc veteri apolo go docemur . Fortè Zephyrus & Boreas certamen inter se inibant , utrius maiores essent vires . Placuit experimentum in viatore sumere , quem , qui prior vestibus spoliasset , næ is prævaleret robore . Institit initium facere Boreas , meras efflare hiemes , horrendum furere , & omni flatum conatu id agere , ut viatoris capiti pileum , aut lateri pallium deriperet . Frustra fuit impetus . Hoc enim ut agi viator sensit , rei sue satagens obniti cœpit pro viribus : pileum , ne volaret , stricūs sibi imprimere : pallium , ne viventi abriperetur , brachiis subjcere , illōque se involuere . Ea in adversum contentionē fractus Boreas , animum de- spondit , alas demisit . Zephyrus alium instituens vincendi modum , orsus est quam mollissimē spirare , tepidulam afflare autam , dulci blandiri sibilo , placido mulcere ventulo caput & ora viatoris , lenissimē per ipsas subire vestes , totumque hominis corpus leniter demulcere . Ca- lebat , jam antē Solis & itineris æstu viator , arebant fauces , languebant humeri , succidebant pedes , sudor per artus fluebat ; ipséque jam sibi grande pondus fuerat , nedum vestis . Ergo ventilatur strophio vertex , pileus ponitur , solvitur sinus , rejicitur penula ; jamque umbraculum prospēctat , séque subter opacam arborem sternit humi , ut seminudus exciperet blandi flabra Favonii . Ita victoria cessit Zephyro . Mansuetudo lene tormentum adhibet animo ; tunc vincit maximē , cūm cedere videtur & vinci . Herba , cui nomen ocytus , modicē compressa reddit odorem ; durius attrita , amittit suavitatem .

(e) Major est vis in moderatione , quam in impetu .

VI. (f)